

Fabri, Felix: Evagatorium in Terrae Sanctae, ..., ed. v. C.D. Hassler, Bd. 2, 1843, enthaltend fol. 183A–291B von Bd. 1 des Autographs (19 555-1) und fol. 2a–74a von Bd. 2 des Autographs (19 555-2)

zu Bild Nr.

0297

0295

0301

0291

0306

0286

0346

0246

0396

0196

0796

285

parvulus in provincia esset, regnum ambo gubernarent et post pueritiae annos ipsum regnum nepoti traderent. Sed ut hoc sine impedimento fieret, puerum ipsum coram omnibus regni militibus in regem inungi fecit super regnum Jerosolymitanum. Et ille est nonus rex Jerusalem, inunctus ante mortem octavi regis, patru sui. Non multis autem diebus evolutis dictus Balduinus puer rex Jerusalem nonus defunctus est et ex industria ejus defunctio multis diebus est per matrem ejus occultata, quia videbatur ei, quod antiquus leprosus rex Balduinus morti esset etiam propinquus et eo mortuo et puero vir ejus Guido succederet in regno, sicut et accidit. Non enim multo post Balduinus octavus [septimus] rex Jerusalem obiit et in sepulchris regum in loco Calvariae sepultus est. Nepos vero ejus Balduinus puer, rex nonus, sepultus est in ecclesia dominici sepulchri, extra tamen capellam loci Calvariae, in quo alii reges sepeliri consueverant, quia videbatur non fuisse rex, cum infans esset.

#### Octavus rex Jerusalem.

Mortuis Balduino, hujus nominis IV., rege Jerusalem VII., et nepote suo Balduino V., rege civitatis sanctae, successit in regnum Guido Lusignanus, Sibyllae Balduini leprosi sororis maritus et sororius quarti Balduini, et regnavit duobus annis in Jerusalem. Hic cum difficultate ad regnum pervenit et in magnis angustiis regnavit et cum maximo diffortunio regimen finivit et regno Jerosolymitano lamentabilem finem dedit. Nam mortuis duobus praefatis Balduinis regibus, comes Tripolitanus, tutor pueri Balduini defuncti, ad regnum aspirabat et multi principes et comites in ejus parte consentiebant, et domino Guidoni, marito Sibyllae, qui haeres regni erat, insidiabantur. Domina autem Sibylla, ut vir suus Guido inungeretur et coronaretur in regem Jerusalem, largitionibus ac blanditiis a patriarcha Jerosolymitano et magistro templi et proceribus obtinuit. Hoc autem Raymundus praeses Tripolitanus graviter tulit, unde inter ipsos, Guidonem scilicet et Raymundum, maximae ortae sunt dissensiones, in quibus Raymundus, Saladino Turco amicus occulte factus et confoederatus maximum detrimentum Guidoni et reliquis Christianis

Ende

Anfang